

LVNÆ DIE 18 M. FEBRVARII A. 2008

A.d. XII Kal. Martias a. MMVIII

I 4 2

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRATRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

EVROPALIA, FARRAGO EVROPÆA

Festiva celebratio « Europalia », quæ iam ante multos annos Bruxellis instituta est, singulis occasionibus spectare solet ad cultum civilem unius ex Europæis civitatibus. Decretum tamen est, ut anno 2007 celebratio ad totam Europam spectaret. ¶ Kristine De Mulder, moderatrix generalis huius celebrationis, nescivit, quomodo res esset suscipienda. Occasio bona erat identitatem Europæam demonstrandi eiusque fontes illustrandi. De hac identitate tamen dubitabat moderatrix, quare, a diurnariis tunc interrogata, dixit se nihil aliud facturam esse quam mira artificia undique Europæ arcessenda, exhibenda et explicanda curaturam esse. ¶ Hanc exhibitionem in Palatio Bellarum Artium instructam invisere voluimus. Quæ constat ex 336 operibus in 14 oecis dispositis ; titulus est « Magna Officina. Viæ artis in Europa a quinto ad duodecimesimum sæculum ». ¹ ¶ In primo oeco agitur de « Europa in motu ». Partes sarcophagorum Romanorum ostenduntur, cum Medio Ævo iterum adhibiti sint ad claros homines sepeliendos, ut ipsum Carolum Magnum eiusque filium Ludovicum Pium. Hic ostenditur pars sarcophagi, in quo sepultus est primus episcopus Leodiensis (*Liege*). Quinto sæculo, post regna barbarorum in Romano imperio occidentali constituta, appetit ars nova satis rudis ; sunt crucis pectorales e folio aureo desectæ ; duo exemplaria adsunt. E Dacoromania allata est aurea fibula aquilæ capite ornata atque nativo crystallo carbunculisque inserta ; pertinet ad quendam Gothorum thesaurum quarti sæculi exeuntis. Usus vitreorum loculosorum pertinet ad artem orientalem, præcipue Iraniæ et Pontis regnum ; in Occidente importatus est barbarorum migrationibus ; a quinto sæculo technica smalti ² loculosi maxime floret in Occidente. Nonnullæ huius generis fibulæ ostenduntur, inter quas duas ansatæ. ¶ Ars necnon litteræ florent in Hibernia septimo et octavo sæculo. Monstratur Codex Usserianus Primus, euangelia continens, qui scriptus est in pergamina exeunte sexto vel ineunte septimo sæculo. Monachi Hiberni mox excellunt in librorum ornatione ; figuram humanam pingunt, sed etiam utuntur veteribus lineamentis Celticis vel Germanicis ; bonum exemplum exhibitur, « Liber Dimmæ », minimum euangeliarium octavi sæculi. ¶ In secundo oeco agitur de Caroli Magni imperio eiusque hereditate. Fere solum libri religiosi splendide illuminati hic ostenduntur. De paucis nonnulla. « Liber de laudibus sanctæ crucis », in abbatia Fulda nono sæculo confectus, Ludovico Pio dicatus est. « Euangelia Centulæ » est sumptuosum manuscriptum, quod Carolus Magnus dono dedit Angilberto, legato suo apud papas Hadrianum I et Leonem III ; ibi perspectiva

et architectura redolent artem Græco-Romanam, fortasse ex exemplis Byzantinis. Psalterium quoddam Traiecti (*Utrecht*) scriptum et illuminatum est in abbatia *Hautvillers*, non longe a Durocortoro Remorum (*Reims*) sita ; ibi artifices iterum imbuti sunt arte Græco-Romana. Etiam invenitur tractatus astronomiæ nono sæculo Metis (*Metz*) scriptum atque a Drogone, Caroli Magni filio adulterino, mandatus ; quo monstratur iam in aula Palatina de calendario reformando curatum esse. ¶ In tertio oeco agitur de « Europa et Mari Mediterraneo ». Hic ostenduntur vasa pretiosa et sumptuosa opera textilia, quæ ex urbe Constantinopoli direpta Latini crucesignati in Occidentem reportaverunt. Sunt etiam nonnullæ res ex orbe mahometano, pyxides eburneæ, textilia serica necnon Corani fragmента. ¶ In oeco quarto præsertim ostenduntur opera duodecimi et tertii decimi sæculi ; illo tempore apparent reliquaria delicate cælata ; aurifices maximæ famæ sunt Nicolaus Virodunensis (*Verdun*) et Hugo monasterii *Oignies* (in Belgica). ¶ In quinto oeco exhibita sunt smaltina opera Lemovicensia (*Limoges*), quæ tertio decimo sæculo maxime æstimantur et late diffunduntur. In Magna Britannia a quarto decimo ad sextum decimum sæculum signa religiosa cælantur ex alabastrita. Exhibentur etiam retrotabula,³ quæ quinto decimo sæculo exeunte præcipue Bruxellis producebantur. ¶ Sextus oecus dicatus est « Virgini et Comitati ». Hic sunt præsertim picturæ ab undecimo ad quintum decimum sæculum factæ, sed etiam nonnulli libri illuminati, inter quos opera omnia Christinae de Pisan (XV s.), primæ feminæ litteratæ, quæ tantum suo calamo vitam sustinuit. ¶ In septimo oeco agitur de delineationibus et codicibus liturariis, quibus artifices uti solebant. ¶ Nimis longum est de ceteris oecis referre ; ut patet ex præcedentibus, tota exhibitio est farrago artificiorum, quorum multa sunt certe visu digna, sed quæ nihil conferunt ad communem sensum Europæum augendum. ■■■

Gaius LICOPPE

1. Le Grand Atelier. Chemins de l'art en Europe. (V^e-XVIII^e siècle).

2. Smaltum loculosum : émail cloisonné, enamel, Emaille.

3. Retrotabulum : retable, Altarblatt. A. Blaise, *Lexicon Latinitatis Medii Ævi*, Turnholti, Brepols, 1975, p. 798.

DE VIVÁ INSTITVTIONE LATINÁ PER RETE

- *scripsit A. Gratius Avitus -*

Cum neque perenni nostro cultu ita imbutos homines ut Latiné loqui scirent plus duos tresve mihi comparare Londinii, ubi tertium decimum jam degerem annum, potuisse, et discipuli mei, quos in variis hujus urbis institutis Latiné docere solerem, legere quidem, non tamen loqui, discere se cupere sæpius quererentur, novas vias temptare decrevi novissimoque adjumento, Internet, Latiné disertos amicos sive invenire plures sive ipse ad usum hujus linguae vivum ultro instituere.

Reperto itaque instituto quodam virtuali « Academiá » nomine « Thules », clarissimá methodo Assimil *Lingua Latina sine molestia* a Clemente Desessard compositá linguam nostram Latinam Lunæ die 18 Octobris 2004 docere cœpi. Ut in ipsius paginis Latiné legitur (cf. <http://www.academiathules.org/>), « Academia Thules ad Studia Romana Antiqua et Nova » – hocc est enim nomen ejus plenum – « novum est experimentum docendi : cursús nostri ordinantur per sistema didacticum in lineá. Institutio in Academiá voluntaria et, præter discipulorum pro coemendis libris ceteroque instrumento expensum, plerumque gratis præbetur ».


Per eum tamen primum annum academicum 2004-2005, amici quidam nostri ad nos sine mora scripserunt ut quererentur ; dicebant enim – quod non est omnino falsum, sed non tota veritas est – Academiam Thules vincula habere cum quibusdam societatibus obscurioribus, quæ restituere vellent non solum – fortasse nec præcipue – linguam nostram illustrem Latinam, sed potius antiquum cultum Romanorum. Hactenus scilicet Academia Thules operatur in societate cum « Nová Romá »¹ et « Societate Viá Romaná ».² Quarum socii (qui etiam « cives » se appellant) sunt plerique linguae Latinæ ignari, rerum tamen Romanarum vario ingenio studiosi. Societates vero suas secundum Romanæ rei publicæ regimen regere conantur, creantque consules, senatores, tribunos, aliosque magistratūs. Non pauci etiam se religionem Romanam sequi Romanosque cole re deos profitentur.

His de causis nonnulli – ut referebam – offensi proposuerunt scholam alteram condere verē universalem quæque destinata esset omnibus qui linguam Latinam discere vellent, neque eis præsertim qui antiquati Romanæ faverent. Cum rerum electronicarum non essent imperiti, conditum est itaque aliud virtuale institutum nomine « Schola Latina Universalis » (cf. http://avitus.alcuinus.net/schola_latin/).

Lunæ ergo die 17 Octobris 2005 linguam nostram Latinam methodo Assimil a Clemente Desessard composita cœpi docere et in Academiá Thules (secundum jam annum) et in nová Scholá Latiná Universali, et hōc Lunæ die 15 Octobris 2007 incohatus est quartus meus annus academicus in Academiá Thules et tertius in Scholá Latiná Universali.

Doceo ergo, ut etiam Gaius noster superiore *Melisseæ* fasciculo referebat, in ambobus jam complures annos institutis, sive potius per ambo instituta allicio discipulos, quos postea in unum colligo. Institutio enim ipsa fit per quoddam programma nomine Moodle (cf. <http://moodle.org/>), quod gratuito præbent moderatores Academiæ Thules. Contra quod quidam tamen opinabatur, neque omnes discipuli qui per Academiam Thulem ad me pervenient sunt Romanorum deorum adoratores (immo – quod ego sciam – hactenus nullus) et multo diligentiores atque studiosiores quam plurimi eorum, quos per Scholam Latinam Universalem accipio.

Primo anno academico bini dies unicuique lectioni tribuebantur, ita ut mense Octobri 2004 incepto cursu omnes 101 methodi lectiones mense Junio 2005 absolute essent. A secundo tamen anno academico (2005-



DIDASCALICA

2006) cursum in duas partes divisimus (lectiones 1-56 et 57-100) ita ut duæ optiones discipulis offerantur : altera, quam exinde intensivam appellavimus, in quā eodem atque anni primi gressu binos dies unicuique lectioni tribuimus et uno anno academico omnes 101 lectiones absolvuntur ; altera vero lenior, quæ duobus annis academicis absolvi debet (lectiones 1-56 priore et 57-101 posteriore), in quā terni dies unicuique lectioni tribuuntur. Ratio studiorum accuratius describitur in situ electronico.³ Prorsus eadem tempora rationesque sequimur et per Academiam Thules et per Scholam Latinam Universalem, et discipuli nostri vacant tres septimanas per Nativitatem et tres per Pascha.

Discipuli debent methodum Assimil a Clemente Desessard confectam sibi comparare, nempe et librum et capsellas. Tantum enim licentia eis datur cursum ingrediendi, si pollicentur se exemplar libri capsellarumque possidere. Auctoris juribus ita præmunitis, tunc ego eis præbeo ad unamquamque lectionem : a) eorum quæ in libro Gallicé/Italicé inveniuntur interpretationem officinalem in Anglicum et in Hispanicum ; b) commentarios meos de grammaticá, vocabulis, etc. ; c) recitationes meas exercitationum quæ in libro inveniuntur (nam in capsellis a Clemente Desessard compositis tantum auditur lectio ipsa, non exercitationes quæ lectiones sequuntur).

Est discipulis et forum ubi possunt rogata ponere, quibus ego respondeo. Eis licet semper vernaculo (Anglico, Hispanico, alio) me interrogare. Ego vero a lectione 1 usque ad 50 omnes commentarios meos et Anglicé et Hispanicé præbeo. A lectione autem 50

usque ad 101 tantum Latiné.

Discipuli habent etiam exercitationes domesticas post septimam quamque lectionem factas remittendas : omnino 11 tales exercitationes, id est quæ pertinent ad lectiones 1-7, 8-14, 15-21, 29-35, 36-42, 43-49, 57-63, 64-70, 71-77, 85-91 et 92-98. Sunt etiam probationes sollemnes quattuor conficiendæ, i.e. quæ complectuntur lectiones 1-28, 29-56, 57-84 et 85-101. Hæc omnia conscribunt discipuli prorsus Latiné. Exercitationum autem domesticarum discipuli notas non accipiunt ; probationum vero sollemnium accipiunt.

Multi solent cursús meos incipere. Non tamen tam multi ad finem pervenient. Propterea bonum est multos saltem incipere, quod omnes methodum Assimil Desessard sibi emunt. Si quidem cursum non prosequuntur, habent tamen methodum domi secum quam fortasse suo Marte absolvant aliquando. Infra præbentur numeri eorum qui sive in Academiá Thules (AT) sive in Scholá Latiná Universali (SLU) quóque anno principium fecerunt, qui usque ad lectionem 56 penerunt, quiqe totam methodum mecum absolverunt.

A mense ergo Octobri 2004, homines 134 methodum Assimil Desessard méa gratiá sibi comparaverunt mecumque studere cœperunt (67 in Academiá Thules et 67 in Scholá Latiná Universali). Ex his omnibus, discipuli hactenus 44 usque ad lectionem 56 mecum penerunt (in Academiá Thules 21 et in Scholá Latiná Universali 23) et discipuli hactenus 21 usque ad lectionem 101 (in Academiá Thules 12 et in Scholá Latiná Universali 9). Videbimus quot plures ex hujus anni

Anno	Principium fecerunt		Usque ad lectionem 56 absolverunt		Usque ad lectionem 101 absolverunt	
2004-2005	AT 10	SLU —	AT 6	SLU —	AT 5	SLU —
2005-2006	27	19	11	9	2	4
2006-2007	12	29	4	14	5	5
2007-2008	18	19				
Summa I	67	67	21	23	12	9
Summa II	134		44		21	

novis 37 (aliisque 9 qui ab anno priore lectiones sequuntur) cursús suos absolvant. Quod quidem sciam, omnes volunt linguam Latinam modo vivo adhibere discere, nam hocc esse nostrum propositum bene ostendimus nuntiamusque ab initio.

De origine autem discipulorum parum dicere possum, nam hocc animadvertere non solebam. Hujus vero anni academici qui hactenus manent (jam enim a primis 46 aliquot defecerunt) necnon prioris nonnullorum hæ sunt nationes (sive domicilia) : Argentina, Australia, Brasilia, Canada, Finnia, Gallia, Germania, Hibernia, Hispania, Hungaria, Israel, Italia, Mexicum, Regnum Unitum, Russia, Statūs Uniti Americæ, Suetia, Ucrania.

Tribus ergo prioribus annis academicis, 65 homines per totum terrarum orbem dispersos latinizavi, quorum 44 partim tantum (i.e. usque ad lectionem 56 methodi Desessard perduxii), 21 vero alias prorsus (i.e. usque ad lectionem 101 atque ultimam methodi). Non est multum, sed non nihil est.

Qui quidem methodum totam absolverunt possunt jam pleni participes haberi nationis Latinæ, quod etiam ex eo patet quod horum meorum discipulorum nullo modo pauci varios Circulos Latinos seminariaque frequentare jam cœperunt, inter quos et Londiniensem, qui tot annos ex tribus hominibus (duobus si me non computas) fuit tantum compositus, nunc vero quattuor gaudet novis sodalibus, qui omnes mei fuerunt discipuli in his virtualibus institutis.

Nunc tamen sunt hæc omnia nostra incepta Latina in magno compito rerum ; nam, sicut Gaius Franciscque nostri superiore *Melissæ* fasciculo referabant, domus editoria Assimil decrevit optimam a Desessard compositam methodum Latinam removere novamque venum dare cujus auctricis ignorantia non solum mendis patet continentibus sed etiam quod vivam linguam nostram tritissimā jam pervicaciā mortuam denuo pronuntiet profiteaturque.

Quo nos vertamus nescimus, nam novā methodo Assimil nullo jam modo poterimus pergere docere. Futuri discipuli debebunt sibi aliquo loco comparare vetera exemplaria methodi Desessard ; at prout hæc incipient undique deficere, institutio nostra paulatim a discipulis exiccatabitur.

Nisi domus editoria Assimil instauraverit denuo editionem methodi Desessard, sive auctoris jura ab eādem domo editoriā vel ab ipsius Desessard heredibus natio nostra Latina aliquo modo erit adepta, hæc nostra per rete institutio Latina qualem hos quattuor obtulimus annos necessario morietur. ■

1. Cf. http://www.novaroma.org/nr/LA:Main_Page

2. Cf. <http://www.societasviaromana.net/home/index.php?lang=la>

3. Cf. http://avitus.alcuinus.net/schola_latina/ratio.php necnon :
http://avitus.alcuinus.net/schola_latina/info1_en.php et
http://avitus.alcuinus.net/schola_latina/info2.php (Latiné) et
http://avitus.alcuinus.net/schola_latina/info3_en.php

SCRIPTA VOLANT

– *scripsit Robertus Deprez* –

Cum puer eram (id fuit inter annos sexagesimos XX. Cæculi) iuxta nos vivebat vetula domina, quæ magistra scholastica fuerat. Illa sæpe narrabat de nepote quodam suo, scholæ – ut videbatur – parum amico, quem sæpe propter malam orthographiam reprehendebat. « Ei quondam dixi, ut ad studia eum stimularem : 'orthographiæ tuæ melius intende ! Quid facies cum adultus eris et epistulam scribere debebis ?' Et scitisne quid nebulo ille mihi responderit ? 'Sed amita, obsoleta refers : homines hodierni non iam epistulas sribunt : telephonant ! ». Valde miraretur magistra illa si hodie rediviva tot pueros adulescentesque videret, telephono suo (gestibili quidem) litteras ad infinitum sribentes (quorum tamen orthographia inde haud melior facta est) !

Ante decem fere annos incredibiliter crevit usus telephonorum gestabilium. Iam dudum telephona mobilia erant, amplæ tamen ponderosæque machinæ, in autocinetis plerumque instructæ. Fabricatores paulatim instrumenta minora pilasque electricas tenuiores levioresque conficere didicerunt. Sed progressus maximi momenti fuit inventio chartulæ pastillo electronico præditæ, telephono inserendæ, qua factum est ut pretia telephonematum facillime solverentur, sive pecunia e computo argentario utentis automate sumpta, sive quantitate quadam minutarum præempta. Chartulæ illæ sunt vera telephoni cuiusque « personalitas », cui omnia data inscripta sunt ; de telephono in telephonum transferri possunt ita ut, exempli gratia, qui novum telephonum emit, possit non solum numerum suum, sed etiam in chartulæ memoria indicem numerorum amicorum, etc., servare. Ergo ante decem annos, ut supra diximus, unusquisque telephonum gestabile in funda sua habuit. Tunc telephonorum fabricatores et telecommunicationis societates secum cogitaverunt : « Multam pecuniam lucratí sumus, gaudeamus igitur ; quid facere possumus nunc ut adhuc plus lucrifaciamus, id est, ut ii qui iam telephonum habent, alterum emant, quo non egent ? ». Itaque nova telephona fingere ac vendere non desierunt, quæ novis muneribus fungerentur : nunc telephono gestibili potes photographicas et etiam cinematographicas (breves) imagines capere, paginæ interretiali consulere, televisionem spectare... Cum telephonum emere cupis et venditorem instrumentum laudantem audis, vix abstinere potes quin eum roges : « Da veniam, domine : num machinula illa adhuc licet telephonare ? ».

Sed inter cunctos progressus illos maxime eminet ille, quo telephono gestibili scripta brevia emittuntur accipiuntur. Facultas illa litteris compendiariis SMS nuncupatur, quæ *Short Message Service* significant. Si

iisdem litteris uti cupimus (nam appellatio hæc nunc toto orbe terrarum diffusa est), Latine dicere possumus *Scriptulum Mobiliter Significatum*. *Scriptulum*, nam scripta illa brevia sunt (160 signa excedere non possunt, in quibus non solum litteræ, sed etiam signa interpunctionis et spatia inter verba numerantur ; signorum tamen numerus potest adhuc minor esse in iis linguis, quæ alphabeto non Latino utuntur), *mobiliter* quia transmissionis modus specialiter pertinet ad rete telephonorum mobilium, et a quolibet alio transmissionis modo (interretiali, exempli gratia) distinguendus est. Attamen nunc licet *scriptulum* a telephono gestabili ad telephonum domesticum (id est lineæ fixæ) mittere : verba scripta ordinato tractantur et voce synthetica sive artificiosa (plerumque feminea) enuntiantur. In Belgica, quæ est natio multilinguis, servitium hoc aptatum est ita ut verba variis linguis (Nederlandica Francogallica Theodisca Anglica) sine deformatione proferantur. Et quid de lingua Latina, rogabit aliquis ? Hoc ignorare nolui, et experimentum feci : sententiam Latinam telephono meo gestabili scripsi, et in telephonum domesticum misi. Animadverti verba Latina recte atque perspicue enunciari, voce tamen « Gallicana », ut aiunt, id est, eo more quo Francogalli olim solebant (et interdum adhuc solent) Latine loqui. Putares te profestricem academiam Lutetianam audire !

Hic communicandi modus a principio peculiariter gratus fuit apud adulescentes. Primum propter vile pretium, deinde quia arcana nuntia invicem mittere possunt. Immo linguam specialem elaboraverunt, adulstis parum intellegibilem, in qua verba non iam consuetate sed miris litterarum numerorumve compendiis scribuntur.

Attamen *Scriptula Mobiliter Significata* ludus adulescentium haud diu manserunt. Adulti enim cito intellexerunt, quanto emolumento *scriptula* illa essent ad res simplices significandas quotiescumque tempus deest vel alios quam minime perturbare volumus. Exempli gratia, si tecum cogitas : « Ah, libenter amico N. telephonarem ut ei hoc et hoc dicarem, sed ille tunc iterum per dimidiā horam loquetur, et nunc tempus non habeo... sed si commodius momentum exspectavero, fortasse obliviscar ». Tale problema *scriptulo* telephonico facillime solvitur ! Et nunc etiam occasionibus aliquanto sollemnioribus *Scriptula Mobiliter Significata* usurpantur, exempli gratia in diem natalem celebrandum, faustum annum novum exoptandum... Vigilia Kalendarum Ianuariarum circa medium noctem haud raro fit ut retia telephonica mobilia propter ingentem copiam non telephonematum

sed scriptorum missorum congestione sive, ut technici dicunt, saturatione patientur !

Sed utilitas Scriptorum Mobiliter Significatorum nunc non iam limitibus vitæ privatæ circumscribitur. Iamdudum societates mercatoriæ, quæ retia televisifica et telephonica possident, percepérunt quantum lucrum facere possent si scriptula pretio maiore missa in ludis televisificis aliisve programmatis usurparentur. Exempli gratia : « Qui centum milia euronum accipere vult, primus omnium telespectatorum scriptulo respondeat ad quæstionem hanc : quæ urbs caput Francogalliæ est ? Quattuor responsa proponuntur : A. Vasingtonia ; B. Lutetia Parisiorum ; C. Berolinum ; D. Pechinum ». Si 500 milia stultorum telephonolum suum tunc arripiunt, ut responsum suum mittant, et supplementum taxationis (ultra transmissionis pretium) uniuscuiusque scriptuli 50 centesimarum est, societatem televisificam spatio nonnullarum secundarum 150 milibus euronum ditiorem faciunt.

Præter ludos, quos diximus, scriptulis telespectatores participes fieri possunt nonnullorum programmatum, exempli gratia alicuius disputationis inter politicos vel spectaculi collocutorii (vulgo : *talk-show*). Quid amplius ? Hodie sunt scholæ quæ, cum discipulus quidam abest, parentes scriptulo monent : « Filius tuus hodie ad scholam non venit ; estne domi ? ». Et in nonnullis urbibus nunc iis, qui difficultatibus loquendi

audiendi laborant, licet custodes publicos necnon siphonarios scriptulo telephonico vocare. Ut præfectorus custodum magnæ Belgicæ urbis in televisione explicavit : « Hoc iam antea telecopia vel epistula electronica fieri poterat ; sed animadvertisimus homines, quos latrones in via aggrediuntur, aut quorum domus incendio comburitur, non semper telecopiatrum vel ordinatum in promptu habere ». Quis de ingenio custodum publicorum in Belgica adhuc dubitaret ?

Ergo in vita nostra Scriptulis Mobiliter Significatis magis magisque utimur. Sed in hac scriptorum mirabili abundantia, quid agunt Latinitatis vivæ cultores ? Etsi sæpe recentioribus subsidiis technicis libentissime utuntur (cursu electronico exempli gratia), nondum videntur scriptulis telephonicis multum allici. Hoc eo mirabilius est, quod lingua Latina, brevitate insignis, modo illi communicationis aptissima est. Nonne antiqui iam in epistulis exarandis necnon in tabulis inscribendis verbis breviatis atque litterarum compendiis utebantur ? Optandum est igitur ut latinizantes hodierni amplius inter se Scriptulis Mobiliter Significatis communicent, ita ostendentes linguam suam omnibus sæculi nostri usibus convenire. Et amicitiam inter se arctius iungent. Et tempus servabunt. Et... Quomodo simplicius dicam ? Forsitan ita : esmso.b.exp.da (E Scriptulis Mobiliter Significatis Omnia Bona Exspectanda) ! ❁

DIMIDIUM PLVS TOTO

adagium 895

DE QVARTO REGNO HELLENISTICO

PARS SECVNDA : DE NOVA GRÆCIA SVB PAROPANISO

- scripsit Gaius Licoppe -

Statim¹ post Alexandri mortem (a. 323), aliquid magni momenti incohatur in India. Unus e multis Indis regibus, Tchandragoupta nomine, qui a Græcis vocatur Sandrocottos (circiter 320-296), magnam Indiae partem in dicionem suam redigit ; eius imperium constat ex area Indi et Gangis atque infra e regione Dekkan vota. Sandrocottos etiam Macedonum præsidia expellit e provinciis septentrionalibus Pendjab, Sind et ultra Indum e Gandhara.

Seleucus Nicator (305-280), præcipuus Alexandri heres, conatur Indicas provincias recuperare, sed expeditionem frustra dicit usque Indum.

Stirps Maurya a Sandrocotto condita ad fastigium pervenit regnante tertio imperatore, Açoka nomine (270-235). Ille est pius buddhistæ et operam dat ut ubique sua religio prædicetur. Vallis Caburæ (v. *Caboul*) magis quam India Buddhismo patet, quia ibi non est infestus clerus brahmanicus ; quare regiones Gandhara, Lampaka, Ouddiyana et Kapiça ad vallem Caburæ pertinentes fiunt nova Terra Sancta Buddhismi. Mythi florent, quibus ibi locantur anteriores Buddhæ vitæ ; nonnulli etiam falso narrare audent Buddham historicum illuc venisse et versatum esse.

Seleucidæ, qui provincias Indicas iam perdiderunt, Iraniam non diu servant ; nam circa annum 250 tribus Parthorum se ab eorum dominatione liberat et Irania potitur. Inde Græci, qui in Asia centrali manent, a ceteris Græcis separantur. Non mirum ergo si Græcus Bactrianæ satrapes se sui iuris esse proclamat et Diodotus I appellatus regnat. Neque mirum si horum longinquierum Græcorum historia diu latuit nec adhuc accurate est nota.

Post alterum bellum mundanum, anno 1964, quidam agricolæ lapidem sculptum, quem fortuito inventarunt, Afghaniæ regi Zaher Shah ostendunt. Rex, aliquid antiqui ibi esse suspicatus, lapidem ostendit rectori Delegationis Archæologicæ Francogallicæ in Afghanistan (D.A.F.A.), qui capitulum Corinthiacum statim agnoscit et, valde affectus, anno 1965 effossiones



archæologicas incohat in confluente Oxi et rivi Kokcha ad limitem inter Afghaniam et Unionem Sovieticam. Effossiones, quæ habentur sub oculis Russorum limitis custodum, ducuntur usque ad annum 1978, cum incohatur Russorum invasio Afghaniae. His effossionibus detegitur oppidum, cuius nomen adhuc ignotum est, quare designatur hodierno nomine loci, Aï Khanoum (i.e., lingua Uzbekia, « Domina Luna »). Hoc oppidum videtur a Seleuco I Nicatore circa annum 300 conditum esse ; non solum est oppidum Græcum, sed etiam oppidum regale.



Ut mos est in omnibus oppidis Græcis, gymnasium et theatrum ibi sunt, quibus maxime diffunditur cultus Hellenicus. Regentium ordo maximam partem constat e Græcis ; ipsi Græci a prioribus incolis separati vivunt in vico, ubi circiter quadraginta magnæ domus patriciae ædificatae sunt secundum nonnullas minores vias parallelas, quæ ad viam principalem ducunt. Earum interna dispositio eadem non est ac solita dispositio Græcarum domorum : in medio est mansio, circum quam cetera membra disposita sunt, interposito androne, quo omnia inter se et cum mansione communicaunt. Ante domum est aula, unde accessus datur in mansionem per ianuam duabus columnis ornatam. In singulis dominibus est balneum, sed simplex et pyelo carens.

Crassa moenia e crudis lateribus oppidum et eius acropoli arce munitam cingunt. Theatrum, cuius gradus etiam e crudis lateribus facti sunt, complura milia hominum accipere potest ; ibi præter spectacula habentur publici civium coetus ; deest enim agora. In theatro magnæ tabernæ media in cavea locatae regentibus reservantur ; nam hic non valet mens democratica.



Exemplar minutum theatrum restituens.

Oppidum dixi regale ; nam ibi inventa est ampla domus regia, cuius forma pendet ab exemplis orientalibus, neo-Babylonicis scilicet et præsertim Persicis. Huic accessus datur per amplam aulam quattuor porticibus circumdatam, quas sustinent centum et octo columnæ Corinthiacæ. Sequitur magnus oculus hypostylus duodeviginti columnarum. Ultra sunt complura ædificia, inter quæ thermæ et cavædium sexaginta columnis doricis circumdata. Muri sunt e crudis lateribus, raro cum fundamentis e lateribus coctis. In columnis tres soliti ordines reperiuntur, Ionicus tamen rarius et Corinthiacus frequentissimus.

Nullum templum Græcum inest, sed ædificium religiosum quadratum et grave in excelsø podio positum. Etiam inventum est sanctuarium typice Iranianum, in cuius medio est suggestus gradatus. Vita functi extra oppidum sepeliuntur, sed in ipso oppido est heroon cum sarcophago Kineæ, qui oppidum nomine Seleuci condidit.

Non omni contactu cum Græcia orbantur oppidi incolæ ; inscriptio enim Græca testificatur philosophum Clearchum, Aristotelis discipulum, eos visitavisse. Eorum lingua Græca non est corrupta, ut patet ex inscriptionibus.

In Afghania, quod spectat ad ætatem Hellenisticam, oppidum Aï Khanoum adhuc solum est, quod satis perfecte exploratum sit. Multa alia oppida restant exploranda, quin etiam reperienda. Alexandria ad Caucasum, exempli gratia, reperta est non longe a Cabura, sed effossiones archæologicæ ibi nondum factæ sunt.

Antiqua Bactriana, quæ patet inter flumen Oxum (hodie *Amou Daria*) et montem Paropanisum (hodie *Hindou Kouch*), sita est inter immensas steppas Asiæ centralis et fauces, quæ ducunt in Indiam. Ipsa Bactriana re vera est steppa, sed secundum fluvios florēt oppida celebribus hortis pomariisque circumdata,

ubi virent mori, populi et platani. In colle e planicie eminenti erigitur excelsa Bactrorum (hodie *Balkh*) arx.

Ultra Oxum ad septentriones versus est Sogdiana (hodie *Tansoxiane*), quæ a Bactriana insuper separatur continuis locis excelsioribus. Ibi media in steppa arida serpit rivus Polytunetus (hodie *Zarafchan*), cuius in ripis, ubi derivationibus solum fertile factum est, florēt nonnullæ oases ; earum notissima vocatur Maracanda (hodie *Samarkand*).

Illi coloni Græci in extremo mundo perditæ sub altissimis montibus, qui dicuntur esse mundi tectum (hodie *Pamir*), coguntur tantum suo Marte se defendere. Primus qui eos aggreditur ipse est Græcus ; nam Antiochos III Megas (223-187) consilium init Bactrianæ Græcos in dicionem Seleucidarum iterum redigendi et magnam expeditionem e Syria in Bactriam dicit. Ibi tunc regnat Euthydemus, ex urbe Ionica Magnesia oriundus.



Euthydemus

Circa annum 208 Antiochus eum obsidet in oppido Zariaspa, cuius situs non est notus. Fortasse cum ambo sint Græcitate coniuncti, Antiochus ab oppugnatione discedit contentus ficta Euthydemii deditio. Inde Antiochus valle Caburæ potitur, sed Indus rex, ad quem pertinet hæc provincia, eius receptum emit grege bellicorum elephantorum.

Bactrianæ Græci non solum se defendere valent, sed etiam aggredi incipiunt. Iam tempore expeditionis Antiochi, imperium stirpis Mauryæ dissolutum est. Indorum ergo debilitate utens, Demetrios I, Euthydemii filius, imprimis valle Caburæ potitur, deinde, transito Indo, in potestatem suam redigit provincias Pendjab et Sind.



Demetrios I

Eius successor, Menandrus, Græcorum arma longius dicit plagamque Gangis penetrat, verisimiliter usque ad Pataliputram (hodie *Patna*), traditam Indiæ urbem caput.



Græci tunc intimam Indiam inveniunt, cui se aptant; sic Menandri nummi sunt bilingues: basileus basileon et maharaja vocatur. Oportet etiam pactum facere cum religione locali, sed brahmanicæ societatis superiores ordines Græcos non accipiunt. Contra pacatum fieri potest cum Buddhism, religione universalis, quæ in principiis non habet præiudicia socialia vel nationalia. Græci bonam consuetudinem iungunt cum Buddhistis, quos tuentur contra æmulas religiones et per quos invicem « indianizantur ». In scripturis Indicis, Menandri nomen est « Milinda ». Is libenter subtiliterque cum philosophis Buddhicis habet disputationes, quarum Indi memoriam servaverunt in libro « Milindæ quæstiones » (*Milindapanha*) inscripto.

Dum Menandrus possessiones suas in India dilatat, Bactriana et Sogdiana circa annum 168 secessionem faciunt atque ab alio Græco principe, cui nomen est Eucratides, reguntur; duo tunc sunt regna Græca, quæ dividit mons Paropanisus.



Eucratides

Diviso gignit debilitatem; itaque paulo post, anno circiter 145, palatum oppidi Aï Khanoum incendio deletur incursione Scytharum nomadum; quinque annis post nova incursione oppidum funditus destruitur et in perpetuum relinquitur. Circa annum 130 Græci totius Bactrianae imperio orbantur invasione nomadum, qui a Græcis historicis vocantur Scythæ, Sacæ et Tochari. Ad meridiem autem versus, ultra montem Paropanisum, Hellenismus florere pergit in valle Caburæ, quæ quasi nova Græcia facta est, necnon in Indica provincia Pendjab circum oppidum Taxilam. Ultimus Græcus princeps, cuius nomen nobis sit notum, vocatur Hermaios; videtur regnavisse usque iniens primum sæculum p.Ch.n.

Quartum ergo regnum Hellenisticum tria sæcula in Asia centrali mansit, i.e. non minus quam tria alia. Etiam post regnum extinctum, cultus Hellenicus mirum in modum diu servatus est.

Inter primas nomadum incursiones, quæ oppidum Aï Khanoum deleverunt, et imperium Indo-Scythicum primo sæculo p.Ch.n. conditum Scytharum barbaries gradatim mitigatur, id quod mirabiliter demonstratur effissionibus anno 1978 in Bactriana factis a quodam Russo archæologo. Ille enim invenit, in Bactriana loco *Tilla tepe* lingua Uzbekia vocato, i.e. « Collis auri », sex nomadum sepulcra; agitur de quodam duce cum suis quinque uxoribus; non minus quam viginti milia rerum ibi collecta sunt, inter quas permultæ aureæ et gemmis ornatae. Quinque nummi etiam inventi sunt: oboli ultimi Græci regis Heraii, nummi Parthici et unus aureus Tiberii. Sepulturæ ergo videntur primo sæculo p.Ch.n. factæ.



Aureus Tiberii


Vestes sepulchorum habent traditam Scytharum formam, sed supplex est lautissima ; duo exempla hic ostendo.

Ineunte primo saeculo p.Ch.n. Scythæ, superato monte Paropaniso, vallem Caburæ et provinciam Indicam Pendjab invadunt. Tochari, una ex eorum tribus, in ceteras dominantur et loco imperii Graeci potens imperium condunt, quod historici Indo-Scythicum vocant. Duæ familiae regales eiusdem stirpis *Kouchana* vocatae id regunt ; in prima ab anno 30 usque annum 130 florenti regnaverunt Kadphises I et II, quorum nomina Graece sonant ; in altera, quæ patet ab anno 144 ad annum 241, eminent buddhista Kanichka, cuius imperium Indo-Scythicum extenditur a paludibus Oxum et Iaxarten recipientibus (hodie mare Aral) usque ad plagam occidentalem Gangis. In nummis Kadphisis I litteræ sunt Graecæ et imagines sive ultimi regis Graeci Hermaii, sive eius æqualis, imperatoris Augusti. Nummi Kadphisis II eius ipsius imaginem ostendunt ; est Scytha typicus, pileatus, barbatus atque longum sagum equitumque caligas gerens, sed inscriptio est Graeca ; in averso nummi latere appetet deus Shiva. Kanichka conciliis buddhisticis præsidet ; in eius nummis sunt pulchræ imagines Buddhæ modo Hellenistico delineatae cum inscriptione BODDO.

Graeci imperium iam non habent, sed Hellenismus nondum desinit vestigium suum Asiæ imponere. De his nonnulla in proximo fasciculo narrabo. ■■■



Anulus cuiusdam feminæ, ubi Athena ostenditur sedens sine sede.



Vestes viri armati et feminæ coronam auream gerentis.



Perpulchra imago aurea musimonis.

1. Fontes maioris momenti et imaginum origo :
Afghanistan, les trésors retrouvés. Collections du musée national de Kaboul, catalogus exhibitionis Parisiis factæ in Museo Guimet 6 dec. 2006 - 30 Apr. 2007 (imagines 1, 2, 3, 8, 9, 10, 11, 12) ; René Grousset, *De la Grèce à la Chine*, Les documents d'art, Monaco, 1948 (imagines 4, 5, 7).

DE CÆSARE BORGIA (1474-1507)

- *scripsit Victorius Ciarrocchi* -

Commemorandi sunt non modo homines, qui suas ciporum vitas conspicuis illustrarunt facinoribus, sed etiam qui variis de causis immania scelera patraverint aut spe gloriae adsequendæ vana adducti nullum exitum adepti sint prosperum. His viris adnumerandus est Cæsar Borgia, cui pater fuit Rodericus, qui anno 1431 in oppido Jativa prope Hispanicam urbem Valentiam sito habuerat ortum.

Eorum nomen gentilicum, quod « Borja » fuit, originem duxisse videtur a parva urbe, quam sæculo XII ineunte Alfonsus I, Aragoniae rex et Navarræ, hostibus Muslimis eripuerat et Petro, comiti « de Atarés », donavit.

Rodericus, qui anno 1449 Romam se contulerat, ad amplissimos honores ecclesiasticos tam brevi accessit, ut anno 1456 a Callisto III, avunculo et pontifice, sit inter patres purpuratos ascitus atque insequenti anno, eodem pontifice favente, titulo « procancellarii » sit honestatus. Quo in munere explendo tam perite, firmiter, callide se gessit Rodericus, ut ipse etiam a Callisti successoribus, nempe a Pio II, Paulo II, Sixto IV, Innocentio VIII valde existimatus sit.

Hoc pontifice mortuo, Rodericus ad summam ecclesiæ catholicæ dignitatem evectus est (die 11 Aug. 1492) sibique nomen Alexandrum VI imposuit. Qui vitam non solum ut cardinalis, verum etiam ut pontifex lascivam gessit, sicut haud pauci historici scripserunt. Quorum aliqui nimium propter livorem adversus familiam Borgia, alii ob adulatorium erga eandem familiam studium, aut falsa rettulerunt aut ridiculis excusationibus varia scelera ab Alexandro et Cæsare patrata tenuare contenderunt.

Utique Rodericus, qui ob cardinalatum multa sibi emolumenta comparaverat, Vannossam Cattanei (aucti-
vum « Vannossæ » prænomen originem dicit ab opimo corporis habitu, quia vulgo « Giovannoza » appellabatur a viris, quibus simplex « Ioannæ » prænomen huic feminæ parum conveniens videretur), nobilem feminam adeo perdite vel impudicitia insignem amavit, ut pæne veluti uxorem habuerit atque ex ipsa quattuor liberos suscepit.

Si autem Ioanni Burchardi, Capellæ Pontificiæ sacrorum rituum magistro, fides tribuitur – cfr huius viri opus *Diarium sive rerum urbanarum commentarii* (1483-1506) inscriptum (Parisiis, apud Ernestum Leroux, 1883, volumen tertium, p. 170) – Rodericum iam papam nomine Alexandri VI alio filio auctum fuisse credendum est. Sunt præterea qui hunc pontificem aliorum fuisse patrem filiorum adserant, quos is ex Iulia Farnese, femina pulcherrima, sustulerit. Quos inter liberos eminuerunt Lucretia et Cæsar, de quibus haud pauca opera scripta sunt.

Qui Cæsar anno 1474 aut 1475 natus est et per temporis breve spatium (aa. 1499-1503) multa non sine prospéro exitu suscepit ad Civitatem seu rectius ad ecclesiasticam potestatem, qua iam a sæculo septimo octavoque in Italia mediana sive centrali pontifices utebantur, firmandam corroborandamque. Nam exeunte sæculo XV quidam duces Itali ea vincula, quibus cum dominatu ecclesiastico iungi cogebantur, minuere et sæpe rumpere conati erant. His ducibus infestus fuit ille Alexandri filius, qui, postquam se a cardinalatus munere abdicaverat, ad armorum curam totum se convertit et, patre auxiliante, omnium militum, qui pro ecclesiæ dominatu instaurando erant pugnaturi, imperator factus est.

Mortuo Carolo VIII, Francorum rege, Cæsar in Galliam se contulit ut Aloisium XII, qui Carolo successerat, conveniret. Cui quidem regi iam pridem expostulanti ut sibi facultas alterius matrimonii contrahendi daretur, hunc permisum a pontifice benigne concessum esse nuntiavit Cæsar.

Hanc ob facultatem, quæ regi maxime cordi erat, et propter nuptias, quæ die 10 Mai. a. 1499 inter Carolam d'Albret, regis Navarræ sororem, et Cæsarem factæ sunt, hic ab Aloisio dominatum accepit illius regionis Gallicæ c.n. *Valentinois* ideoque etiam « Dux Valentinus » is a rerum gestarum scriptoribus appellari solet. Qua cum femina paucos menses Cæsar transegit; nam Iulio eiusdem anni mense in Italiam rediit cumque militum copiis maxime Francorum ad ea terra, quorum supra mentio est facta, recuperanda se ipsum paravit.

Tunc regebat urbes Forum Livii et Forum Cornelii (Italice : *Forlì* et *Imola*) Catharina Sfortia, virago adeo impavida, ut quodam die – coram aliquibus Forolivensis tumultuantibus mortemque eius filio minantibus nisi ipsa eorum postulatis satisfaceret – vestem crura operientem sublevare haud sit verecundata ac pudenda monstrans adiecerit, ut omnes fere historici referunt, ferme hæc : « Matrix mea etiamnunc bona est ».

Sed nihil adversus Cæsarem potuit illa femina, quæ adæque Astorres Manfredi, urbis Faventiae dux, ab hoste capta est. Astorri, quem Faventini nonnullos per menses defenderant, libertatem Cæsar promisit; qui tamen illum adulescentem, sacramento neglecto, in castello sancti Angeli conici posteaque necari iussit. Quo de scelere Ioannes Burchardus hæc : « Die nono dicti mensis Iunii [a. 1502] reperti sunt in Tiberi suffocati ac mortui dominus Faventiae, iuvenis octodecim annorum adeo pulchræ formæ et statuaræ quod inter mille coætaneos suos vix potuisset sibi similis reperiri; et duo iuvenes per brachia simul ligati, unus quinde-



<http://www.gutenberg.org/files/20804/20804-b/20804-b.htm>

cim annorum, alias viginti quinque et prope eos quædam femina et alii multi » (*op. laud.*, vol. III, p. 208).

Eodem modo Cæsar se gessit aliis in urbibus obsidens et occupandis, quarum fuerunt Cæsena, Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogallia. Hanc in urbem pacis conciliandæ causa quattuor duces, qui a fœderibus cum Cæsare initis desciverant aut pacta non recte servasse putabantur, is ut venirent sollicitavit ; eosque, postquam in illius urbis arcem ingressi erant, Kal. Ian. a. 1503 singulari iussit. Quod facinus Nicolaus Machiavelli, qui opere *De Principatibus* inscripto (sed Italice composito) exoptavit ut tandem aliquando princeps duxve quidam nihil intentatum relinquenter ut Italos in unam Civitatem coagmentaret, laudavit opusculo c.t. *Quomodo dux Valentinus in occidentis Vitellotto Vitelli, Olivario Firmano, domino Paulo, duce Gravinæ Orsinio se gesserit.*

Terrore et tremore hæc ob scelera perculsi sunt alii domini et duces, qui, etsi dolis ac feritati haud minus quam Cæsar adsuefacti, huic tamen eiusque dominatio ni cedere coacti sunt. Accedit quod rumor verisimiliter haud falsus iam per omnes Italiæ regiones vulgatus erat, nempe Alfonsum Aragonensem, ducem Bisiliarum eundemque Lucretiæ maritum, ab ipso papæ filio trucidatum fuisse. « Urbium cives tremescabant et magistratus coram Cæsare in pulvere prosternebantur et adsentatores eum laudibus ad cælum efferebant », sribit Ferdinandus Gregorovius in opere c.t. *Urbis Romæ historia in ætate mediævali*, quod e textu originali Theodisco in linguam Italicam translatum est apud Einaudi, Augustæ Taurinorum, a. 1973 (verba supra relata leguntur in tertio huius operis volumine Italicico, p. 2076).

Sed mense Augusto a. 1503 aliquid inopinati accidit : die 18 Alexander VI, paucis post valetudinis improsperæ diebus, mortuus est. Quamvis nimis æstuosus Romæ fuerit mensis ille, tamen, quoniam et

Cæsar eisdem diebus ægrotavit, haud pauci historici, quos inter Franciscus Guicciardini et Petrus Bembo, a papa eiusque filio cibos venenatos sumptos esse rettulere. Istum tamen rumorem plerique ætatis nostræ scriptores fide dignum esse negant.

Utique Alexandro morituro nullus ex eius liberis adstitit neque Vannossa neque Iulia. Post brevissimum Pauli III pontificatum Cæsar, cuius fortuna ob patrem demortuum iam vacillare cœperat (patri et filio Borgia inimici non deerant), in errorem incidit gravissimum, quem Alexander, sane improbandus ut Petri successor, sed callidissimus ut vir politicus, numquam commisisset : huius enim pontificis filius, credulus quibusdam promissis, quæ sibi fecerat Julianus Della Rovere, pater purpuratus familæ Borgia inimicissimus, cardinalibus Hispanis, apud quos etiamtunc gratiam qualemcumque Cæsar habebat, persuasit ut ad Petri cathedralm Julianum eligerent. Qui tamen, postquam ut Iulius II pontifex est creatus, promissa Cæsari facta haud servavit. Dux igitur Valentinus, cuius mens non iam erat quæ fuerat etiam quod lue venerea adeo is laborabat, ut pustulas vultum ulcerantes sudariolo operire cogerebatur, frustra auxilia petere a paucis amicis et consanguineis conatus est.

Post varias vicissitudines, denique Cæsar in Hispaniam, suorum Patriam maiorum, se contulit ; sed ibi quoque magis adversarios, quam amicos invenit. Nam in cuiusdam castelli carcerem coniectus est ; quo e carcere die 25 Oct. 1506 mirum in modum evasit atque in urbem Pamplonam versus aufugit ibique grataanter a Ioanne, Navarræ rege et Carolæ fratre, acceptus et statim titulo « ducis generalis » militum honestatus est.

Ioanni enim propositum erat in suam ipsius potestatem coercere Aloisium de Beaumont, qui castellum urbis Vianæ occupaverat. Quod castellum Cæsar obsidere coepit. Quodam die, cum compumperet hostes in eo esse, ut clanculum auxilia castellanis ferrent, pæne solus in agmen hostium exterrit equitans vehementer irrupit et, gladio e vagina educto, eorum tres quatuorve confudit. Sed ab equitum turma oppressus, etsi vi desperationis præliari pergeret, multis ictibus vulneratus tandem iacuit mortuus.

Cadaver eius armis vestimentisque spoliatum ab hostibus et cruento foedatum ad regis aulam translatum fuisse referunt historici, posteaque marmoreo tumulo in urbe Pampelona conditum. Ita die duodecimo m. Mar. a. 1507 in acie Cæsar Borgia occubuit, qui calliditate, bellandi peritia, crudelitate, infandis vitiis et masculis virtutibus inter alios eiusdem generis viros, qui ætate « Renascentiæ » maxime in Italia vixerunt, haud dubie eminuit. ■

LEONIS BAPTISTÆ ALBERTI MOMVS (III)

- *quem legendum proponit Francisca Deraedt* -

« **H**ui quale bipedium genus homines ! »¹ Momus, qui inter cælicolas post omnis generis facinora tamen iterum receptus, mutata ratione constituit contra suam ipsius naturam fieri iucundus, in deorum epulis aures immortalium experientiis suis terrestribus est delectatus.

Hæc longissima narratio,² quæ « toto ridente cælo » facta est, vere digna est quæ legatur. Videtur enim Leo Baptista Alberti magna cum voluptate usus esse Momus iocis et salibus, non ad ridiculam fabulam offerendam, sed ad societatem hominum potentiumque vitia quasi subdolose notanda. Sine me, lector, eam tibi pæne integrum proponere.

Ergo Momus lepide narrat se in exsilio omnes generis humani condiciones experiri voluisse, inque singulis, præter unam de qua mox agetur, plura inventisse incommoda quam commoda.

Placuit militiam imprimis cognoscere, non quod ipse virtutis esset tam plenus, sed quia res ei visa est et gloriosa et immortalis deo vix periculosa.

« Atqui, ut a primariis et honoratissimis incipiat, militiam sibi imprimis visam percommadam. Id quidem, cum alias ob res, tum quod per eam virorum principes reddantur, potentatus nanciscantur, posteritasque fructum assequantur. Accedebat eo ut arma sibi potissimum eligenda duceret, quod se ab armorum periculo immortalitate immunem meminisset, ac fuisse quidem militem se beneque rem gessisse manu et animi viribus, postremo ductitasse exercitum, instruxisse acies, exercuisse classem, suos vidisse titulos victoriarum quamplurimos excepsisse frequentissimos civium plausus et congratulations.

« Sed brevi odisse castra, vexilla, arma, classica, omnemque virorum strepitum fremitumque. Non id quidem satietate aut fastidio quodam iteratæ gloriæ, sed iusta rectaque minime insolentis viri ratione, quandoquidem in his omnibus rebus quae ad arma spectent nihil inveniri intellegeret quod saperet æquitatem, quod non esset alienum a iustitia, quando item in omni illa armatorum multitudine intueretur nihil quod quidem ad humanitatem aut pietatem spectaret, omnia cerneret ad utilitatem, ad animi libidinem, ad rerum temporumque suorum rationem et condicionem per vim nefasque referri, nulla fortibus certa aut merita referri præmia, omnia imperiti vulgi iudicio et opinione pensari, res consiliaque eventu putari, præmia non virtuti sed audaciæ et temeritati referri.

« Sinere se pericula et labores quos in sole et pulvere nocteque sub umbra et divo obire oporteat. Sed illud non præterire, quod inter sanguinis vitæque suæ prodigos, alieni cupidos, impuros, impios, diritate

immanitateque tæterrinos, in fæce et sentina perditissimorum et a suis patriis sedibus perpetratis flagitiis profligatorum, inter ruentium templorum stragem, fragorem, fumum cineremque versandum esset, ut tota illa in re bellica nihil se invenisse Momus deieraret quod satis delectaret præter id, quod interdum, stulto et vesano furore conciti, turmæ atque manipuli armatorum mutuum in ferrum præcipites ruerent. Operæ quidem pretium esse coram intueri portenta illa impurissima et pestes hominum properantium in mortem suique similium scelere et manibus contrucidari. »

Pulchrum, nonne, hæc mixtura irrisio[n]is et reprehensionis, parvulo deo Momo per se non incongrua, mira tamen in ore eius, cuius imago tam turpis usque adhuc depicta est. Hæc ergo de gloria militari. Quid nunc de regno ?

« Voluisse et regem fieri se, quod proxime ad deorum maiestatem regium imperium arbitraretur ac magni quidem duxisse olim vereri observari que se a multitudine, eamque præsto adesse, pendere ad obsequium, parere dictis. Item magnifice habitare, honorificissime progredi, laute ac splendide convivari et concelebrari. Principio quidem veritum ne id sibi foret arduum assequi atque difficile, quoniam multos videbat ea una in re nanciscenda frustra maximis laboribus et ultimo discrimine contendisse, per paucos attigisse.

« Sed animadvertisse duas ad principatum patere vias breves et haudquaquam difficiles. Unam quidem, quæ factionibus et conpirationibus muniatur, hanc teneri expilando, vexando, collabefactando, sternendoque quicquid tuis curriculis obiectum ad interpellandum offenderis. Alteram vero ad imperium viam bonarum esse artium peritia bonorumque morum cultu ac virtutum ornamenti deductam atque aptam, qua quidem te ita compares, ita exhibeas hominum generi oportet, ut te gratia et benevolentia dignum deputent, unum te in suis adversis rebus adire, tuis potissimum assuescere consiliis et stare sententiis condiscant.

« Neque enim ullum in terris vigere animans quod ipsum sit homine contra servitutem magis contumax ; contra item homine ipso fingi posse nihil ad mansuetudinem tractabilitatemque propensius. Sed scire imperium agere artis esse minime vulgaris. Quod si pecudes brutaque et quæ ad feritatem agrestem nata sunt usu domita reguntur et certa quadam disciplina continentur, quid hominem ad facilitatem frugalitatemque vitæque natum societatem non moderabimur arte et ratione, quandoquidem iusta et recta imperantibus, ut videre licet, sponte ultroque obtemperet ?

« Sed imperium postquam adeptum partumve est rem esse procul dubio difficillimam imperantibus asserbat. Nam eo cum sis adductus loco ut tua neglegere, aliena curasse oporteat, cum item tua unius cura et sollicitudine multorum otium et tranquillitatem tueri ac servare opus sit, quid potest in vita difficilior dari atque laboriosius? His addebat publica esse negotia omnia penitus ardua atque impeditissima, in quibus si tua unius utaris opera non sufficias, et aliorum si utaris opera casibus id atque periculis refertissimum sit; neglegere vero quid sit officii cum ad dedecus et ignominiam, tum ad calamitatem exitiumque redundet. Denique, si rem satis spectaris quod isti imperium nuncupant, id profecto publicam et intolerabilem esse quandam fugiendarum rerum servitutem intelleges. »

Quid tum? Se nulli curæ publicæ dicare? Privatum virum manere suisque rebus consulere? Et hæc experientia Momo visa est odiosa:

« Ceterum nummularias ceteras quæstuosasque artes et facultates ultro abdicatas ab se esse voluisse, quod vel satietatem ex copia, vel fastidium ex usu, vel tedium ex quæstu præbeant, vel si tandem cupiditate adducaris ut tibi plura esse velis quam oporteat, fore ut sordidam illiberalissimamque sollicitudinem afferant. »

Homini nullam curam cupienti, neque publicam neque privatam, una videtur superesse via, eam dico, quæ a cynicis ut philosophica vitæ forma laudata est. In qua describenda auctor, ut putant commentatores, verisimiliter secutus est Luciani Parasitum.

« Postremo nullum genus vitæ se aiebat comperisse quod quidem omni ex parte eligilius appetibiliusque sit quam eorum qui quidem vulgo mendicant, quos errores nuncupant. Hanc esse quidem omnium unam facilem artem, in promptu utilem, vacuam incommidis, plenam libertatis ac voluptatis. Quam rem ita esse multa cum festivitate Momus cum plerisque aliis argumentis, tum his rationibus demonstrabat.

« ‘Etenim sic’ inquit ‘dicunt quidem geometræ, quæque versentur in arte sua æque teneri a quovis rudi discipulo atque ab eruditissimo, modo semel ea percepta sint. Idem ferme ipsum in hac erronum arte evenit, ut uno temporis momento perspecta planeque cognita atque imbuta sit. Sed in hoc differunt, quod geometra instructore qui futurus est geometra indiget, erronum vero ars nullo adhibito magistro perdiscitur. Aliæ artes et facultates habent edocendi tempora, ediscendi laborem, exercendi industriam, agendive quandam defini-

tum descriptumque modum; item adminicula, instrumenta et pleraque istiusmodi exigunt atque desiderant: quæ hac una in arte minime requiruntur. Una hæc artium est incuria, neglegentia inopiaque rerum omnium, quas aliis in rebus ducunt esse necessarias, satis fulta atque tuta. Hic non vehiculis, non navi tabernave opus est; hic non decoctoris perfidia, non raptoris iniuria, non temporum iniquitas metuenda est. Hic nullum congeras capital præter egestatem rogandique impudentiam oportet, ac tua ut perdas, aliena ut roges nihil plus negotii est quam ut velis id ita mereri de te. Adde quod aliorum sudore et vigiliis erro pascitur, suo quantum libeat otio abutitur, rogar libere, negat impune; capit a quibusque, nam et miseri ultro offerunt et beati non denegant.

« Eorum vero quid referam libertatem atque solitam vivendi licentiam? Rides impune, arguis impune, obiurgas, garris tuo quodam iure impune. Quod illi ad dedecus ignominiamque deputant verbis cum errone contendere, quod illi statuunt flagitio manum impotenti inferre, id ad regni quasdam condiciones et leges facit. Posse quæ velis et nullos habere dictorum factorumque censores, ea demum regnandi suffragia et præsidia sunt. Neque illud concedam regibus ut divitiarum usu magis quam errores fruantur: erronum theatra, erronum porticus, erronum quicquid ubique publici est. Alii in foro ne considere neve altercari quidem voce paulum elatione audebunt, et censoria veriti patrum supercilia publico ita versantur ut nihil sine lege et more, nihil pro voluntate et arbitrio audeant. Tu, erro, transverso foro prostratus iacebis, libere conclamitabis, faciesque ex animi libidine quæcumque collibuerint.

« Duris temporibus ceteri mæsti mutique tabescunt, tu saltabis, cantabis. Malo regnante principe alii diffugient errabuntque exilio, tu arcem tyranni concelebras. Hostis victor insolescet, tu solus tuorum intrepidus coram adstabis. Et quod quisque summo labore capitique periculo sibi accumularit, tu illius quasi debitas tibi dari primitias expostulabis. Est et illud quod ad rem egregie faciat, ut cum nemo sic viventi invideat, tum et ipse nullis invideas, quandoquidem in aliis cernas nihil quod non facile possis assequi, dum velis.

« Adde his quod erronis condicio ita est ad quamvis artium aliarum accommodata, ut quoquo te contuleris recte ac digne fecisse videare, quod quidem ceteris mortalium haud æque evenit: nam et levitatis putatur suam cui assueverit artem linquere et non sine dispenso ad alias transmigratur. Neque illos audiendos puto qui quidem hanc unam erronum sectam dicant plenam esse incommodorum. De me illud profiteor, ceteris omnibus in artibus unas et item alias plerasque res

offendisse quæ et duræ et acerbæ fuerint quæve, cum eas noluerim, tum iisdem illis ægre carere non potuerim. Nam omni quidem in artificio multa sunt, insita natura et quasi innata, quæ etsi gravia et molesta sint, ferenda tamen sunt his qui in ea velint versari. At hac in sola una erraria (ut ita loquar) disciplina et arte nihil umquam offendi quod quidem ulla ex parte minus placuerit. Nudos vides errores sub divo atque duro in solo accubare : eos contemnis, despicias una cum vulgo atque fastidis. Vide ne teque vulgusque errores ipsi contemnant atque despiciant ! Tu aliorum causa facies multa, erro nec tua nec aliorum causa facit quippiam : sibi facit quicquid facit. (...)

« Nuntiabantur gravia, quæ ceteri omnes exterriti pavefactique horrescebant : novos invisosque liquores ex duro silice manasse, mediisque ex fontibus arsisse flamas, tum et montes inter se arietasse. Stabat attonitum vulgus, trepidabant patres, omnia erant in metu et sollicitudine rerum futurarum. Alii publicam ad salutem advigilabant, alii suis commodis servandis insanibant, aut spe agitati aut metu. At Momus, curis vacuus, in quodcumque velis latus dulce obdormiscens nihil sperabat, nihil metuebat, interque stertendum illud usurpabat dicere : Quid tum, Mome, et quid hæc ad te, ad quem neque pauperiem afferent neque quippiam auferent ? Narrabantur et rerum monstra : alios strata mari via obequitasse, alios per silvas perque saltus traduxisse classem, alios subfossis montibus media per saxa intimaque per viscera terræ suos traxisse currus, alios immanni strue cælum aggressos petere, alios flumina et lacus eripuisse mari atque extinxisse, mediumque intra aridum terræ solum clausisse maria.

« Hæc admirantibus ceteris atque stupentibus, Momus illud assuescebat dicere : Enimvero, Mome, et hoc nihil ad te. Ferebant locupletissimos amplissimisque orbis reges innumerabili hominum manu impetum inter se facere, contegi cælum sagittis, flumina sisti cadaveribus, mare hominum crux excrescere. His rebus cognitis ceteri, prout rerum suarum ratio et studia ferebant, æstuabant variis animorum motibus ; solus Momus illud observabat dicere : Et istuc, Mome, nihil ad te. Spectabantur agrorum incendia, vastitates, populationes, audiebantur cadentium virorum gemitus, ruentium tectorum fragor, calamitosorum eiulatus ; hæsitabatur, trepidabatur, discursitabatur ; strepitus, crepitus, fremitus totis triviis, totis angportibus. At Momus resupinus nudis feminibus oscitans allucinabatur, et quid sibi tanti tumultus vellent ne rogabat quidem nisi neglegenter sane atque morose. Tum si quis coram tantos turbines et rerum tempestates deplorare aggrediebatur, Momus, perflicato crure, aiebat :

Nequedum, Mome, quicquam est hic, quod quidem tibi recte cures : dormi.’ »

Omnibus deis usque ad lacrimas ridentibus, Iuppiter tamen vix credere potest nullam in huiusmodi vita esse invidiam : « Heus Mome, num et, quod aiunt, figulus figulo faberque fabro, ipsum idem æque erronibus evenit, ut inter se invideant ? » Facere non possum quin responsum hic proponam, ornatum ut est cuiusdam philosophi descriptione tam lepida, tam pulchre facta, ut ipsum hominem tibi videaris ante oculos habere.

« Tum Momus ‘Admones,’ inquit ‘o Iuppiter optimus et maxime, ut ipsum me accusem : audies rem festivam. Versabatur inter philosophos egregius quidam nebulo, quem unum si spectes facile credas principem esse abiectissimorum hominum : ita corporis forma et omni membrorum ornatu se agebat inter errores insignem atque nobilem. Describam tibi hominis speciem et habitum. Aderat illi os impressum, mentum obductum, cutis hispida, crispissata atque ab genis pro palearibus dependens, omnis vultus perfuscus, oculi turgidi et aperte prominentes, horumque alter lusciosus, alter sublippus et ambo perverse strabi. Naso tam erat multo ut non hominem sed nasum existimes ambulare. Pergebat procurva cervice et inversa in sinistrum humerum, collo protenso et acclinato, ut terram non prospicere oculis sed auricula diceret ; surgebat scapularum una in strumam pergravem, incedebat gradu lato, tardo, vasto, sed lassis artibus et quasi longo morbo spondylibus dissolutis ad cuiusque pedis motum innutabat. Sino vestitum et reliquum apparatus, saccos centipelles, lacernam atavam lacernarum, in qua mille parturientes mures nidificarent ; pendebant humero pera, calathus atque cantharus sordibus obsceni, foetore exsecrabilis. Huic me fateor homini fortassis interdum invidisse, non quo esset ille quidem ita informis, sed quod non obscure perspiciebam pluribus hunc videri dignum pietate, cum esset non pietate, sed potius odio dignissimus.’ »

Talibus delectamentis evenit ut Momus, deis omnibus nuper invisus et odiosus, revolutis rebus nunc gravissimus fiat atque acceptissimus. Omnes eum colunt, laudant, amant, observant. Quantus error... ■

1. *Momus*, I, 64.

2. *Momus*, II, 38-58.

QVALIS SCRIPTOR FVIT M. CORNELIVS FRONTO?

— *scripsit Geraldus Wailliez —*

« Scimus M. Cornelium Frontonem, Marci Aurelii præceptorem, librum contra Christianos conscripsisse, sed is perditus est ».¹

Supersunt autem aliqua eius opera, de quibus apud L. Laurand et A. Lauras² legimus :

« Fronto, æqualium fiducia, vir magnus fuisse diu visus est. Aliqua tamen ex eius operibus Mediolani anno 1815 Romæque 1823 in palimpsestis inventa sunt ; quibus lectis fieri non potest quin Fronto homo mediocrissimæ mentis, nullius momenti, cuius scripta indigna erant quæ ad posteritatem traderentur, apparet. Sunt inter reperta opera multæ epistulæ, quarum plures ad pristinum eius discipulum Marcum Aurelium, nugatoriæque declamationes, sicut initium operis c.t. *Laudes fumi et pulveris*. Quo vero graviores videntur quidam alii tituli, ut v.g. *De bello Parthico* vel *De nepote amiso*, eo maior lectoris frustratio.

« Fronto unus est ex inanissimis quarumcumque litterarum auctoribus. Vana quidem solet loqui ; cum autem aliquid dicit, nihil fere aliud facit nisi rheumatismos in pede, manu, digito, humero e.q.s. enarrat.

« Aliquando tamen de litteris tractat, qua occasione eius iudicia nos de inclinationibus illius ætatis archaicæ scholæ Latinæ certiores faciunt. Sicut Græci atticismi fautores (quibuscum quando Græce scribit connectitur), Fronto ad veteres redit auctores, nunc ad veterinos, ut Plautum Catonemve, nunc ad eos qui exeunte libera re publica scripserunt, non tantum Sallustium sed etiam Ciceronem, cuius autem epistulæ eum magis quam orationes delectant.

« Eius scribendi genus, nimis operosum, putidum, verbis antiquis rarissime scatet ac, quamquam auctor multum laborat, patet tamen eum ingenio profecto carere. »

Quanto melius litteras Latinas animique cultum illustraverunt multi antiqui scriptores Christiani,³ de quibus illa tantum inter plurima referam :

- de Tertulliano : « Mente firmus, pressus ac subtilis argumentatione, linguæ quam maxime potens, sæpe admiranda eloquentia, Tertullianus primæ notæ scriptor videtur » ;⁴

- de Minucio Felice : « Elegantissimum eius scribendi genus in vera traditione classica manet » ;⁵ « accuratissima [eius operis] forma ciceronianum redolet » ;⁶

- de S. Hieronymo : « Acute litteratus vir, doctissimus simulque magnus artifex ».⁷ ■■■

1. Cf. *Melissa*, n° 140, p. 13.

2. *Manuel des études grecques et latines*, 13^e ed. revisa ac correcta, Lutetiæ, Picard, 1960, vol. II, p. 323 (fasc. V, n° 319).— Mea interpretatio (id. infra in notis 4^a ad 7^{am}).


3. « Regnum Dei primum quærebant, et hæc omnia adiecta sunt eis » (cf. Matt., VI, 33), que nobis tradiderunt.

4. Laurand et Lauras, *op. cit.*, vol. II, p. 344 (fasc. V, n° 351).

5. *Op. cit.*, II, 345 (V, 353).

6. Arnoldus Clausse (professor Universitatis Leodiensis), *La littérature latine par les textes, à l'usage des trois classes supérieures des athénées, lycées et collèges*, 2^e ed., Bruxellis, De Boeck, 1951, p. 239.— Hic liber, quo usus sum cum apud Athenæum Regium Caroloregiense discerem, textus præbet Tertulliani, Minucii Felicis, Lactantii, SS. Ambrosii, Hieronymi et Augustini, Prudentii et S. Paulini Nolensis (necnon, inter « paganos » autem positi, Ausonii).

7. *Eod. op.*, p. 247.





In hoc fasciculo!

- Europalia, farrago Europaea* [G. Licoppe] p. 1
De vivâ institutione Latinâ per rete [A. Gratius Avitus] p. 2
 Scripta volant [R. Deprez] p. 5
De quarto regno Hellenistico (II) [G. Licoppe] p. 7
 De Cæsare Borgia [V. Ciarrocchi] p. II
Leonis Baptistae Alberti Momus (III) [F. Deraedt] p. 13
Qualis scriptor fuit M. Cornelius Fronto? [G. Wailliez] p. 16

Imago tegumenti : Leonardo da Vinci, Leda et cygnus

LATINE LOQVI...

COLLOQVIA LATINA LEXINTONIENSIA

Lexintoniæ in America, d. 7-14 m. Iulii 2008.

¶ terence.tunberg@gmail.com

CONVENTICVLVM BOSTONIENSE

Ad litus maris... Dermutæ in oppido Massacusetano, d. 2-10 m.
Aug. 2008.

¶ terence.tunberg@gmail.com

CONVENTICVLVM LATINVM VASINTONIENSE

Seattli, d. 2-8 m. Iulii 2008 ; sessiones præparatoriæ duobus diebus ante.

¶ http://www.wenval.cc/boreoccidentales/boreo_latin/conventiculum.asp

CONVENTVS ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

« Ad fines imperii Romani – anniversario bis millesimo cladis Varianæ »,
Ratisbonæ in Bavaria Germaniæ, d. 15-19 m. Septembris 2009.

¶ sallmann.k@t-online.de ¶ <http://academialatina.org/>

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 16-23 m. Iulii 2008.

¶ feriae@frigolet.com

MELISSÆ ITER CONSTANTINOPOLITANVM

Idemque Latinum, d. 7-13 m. Iulii 2008.

¶ g.llicoppe@skynet.be

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 20-26 m. Iulii 2008.

¶ Augustæ Treverorum in Germania : 3-9 m. Augusti 2008.

¶ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de/>

SEMINARIVM FRATERNITATIS SANCTI PII X

Ad Montem Pulchrum in Germania, 27 m. Iulii - 2 m. Augusti 2008.

¶ badius@gmail.com